



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 85. Vtrum scientia visionis, & media auferant libertatem actibus
absolutè, & conditionatè prænis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

cedat à principio proximo non habente vllum impedimentum inuincibile à libero arbitrio ad omittendum talem actum; sed necessitas ad actum ita antecedens, vt nullo pacto sit consequens, est inimpedibilis, adeoque est impedimentum inuincibile ad omittendum actum; ergo aufert libertatem actui. At necessitas consequens est vincibilis, & impedibilis, & supponit actum vt factum, aut faciendum à principio proximo non habente impedimentum inuincibile à libero arbitrio; ergo necessitas consequens non potest auferre libertatem actui.

QVÆSTIO LXXXV.

Virum scientia visionis, & media auferant libertatem actibus absolute, & conditionate præuisis?

1. Videtur auferre, primò, quia necessitas antecedens aufert libertatem actui, quem necessario infert: sed scientia visionis, qua Deus videt e. g. Antichristum peccatum, est necessitas antecedens æternitate peccatum Antichristi, illudque necessario infert; ergo.

2. Secundò, si dicatur scientiam, qua Deus videt peccatum Antichristi, antecedere peccatum solum æternitate, non autem causalitate, & natura, contra est: nam scientia media, qua Deus videt, quod si dederit Antichristo talia auxilia, peccabit, antecedit peccatum Antichristi etiam natura; ergo &c. Probatur antecedens: nam quod natura antecedit causam, natura antecedit causatum; sed scientia media, qua Deus videt, si dederit Antichristo hanc potentiam proximam, peccabit, dirigit Deum ad dandam Antichristo hanc potentiam proximam peccandi, adeoque natura antecedit hanc potentiam proximam peccandi, quæ proxima potentia est causa peccati; ergo antecedit natura etiam peccatum, adeoque aufert illi libertatem.

3. Tertiò scientia media, qua Deus videt: Si dederit Antichristo talia auxilia, peccabit, antecedit natura peccatum; ergo non potest natura consequi peccatum; alioquin daretur mutua prioritas naturæ; ergo est omnino antecedens, & nullo pacto consequens peccatum; sed necessitas omnino antecedens aufert libertatem; ergo &c.

4. Quartò necessitas inimpedibilis à libero arbitrio aufert libertatem actui, quem necessario infert; sed scientia, qua Deus videt Antichristum peccatum, est inimpedibilis à libero arbitrio Antichristi; ergo &c. Probatur minor: nam non datur potentia impediendi præteritum, ideoque certum est apud Philosophos, & Theologos id, quod dixit Agatho apud Aristotelem 6. Ethic. cap. 2.

Hoc etiam ipse Deus, soloque carere videtur, Insectum vs faciat, quod factum est, atque peccatum.

5. Quintò cum antecedens est necessariū, etiam consequens est necessariū, vt demonstratum est quæst. 83. num. 11; sed hoc antecedens, Deus ab æterno sciuit Antichristum peccatum, est necessariū, cum non possit non esse verum; ex illo autem antecedenti sequitur hoc consequens: ergo Antichristus peccabit; ergo etiam peccatum Antichristi erit necessariū, ac proinde non liberum.

6. Sextò nullus effectus potest impedire suam causam, dependenter à qua fuit positus; sed potentia proxima peccandi fuit posita dependenter à scientia media, per quam Deus videt, quod si poneretur talis potentia proxima, peccaret; ergo potentia proxima peccandi non potest impedire hanc scientiam mediā, adeoque hæc scientia media est inimpedibilis, & aufert libertatem peccato, quod purificata conditione, necessario infert.

7. Septimò demum explicari non potest, quo genere impeditiois scientia visionis, & media possit impediri à libero arbitrio.

8. Respondeo, quod si fingamus Deum dare homini potentiam proximam indifferentem faciendi, vel omittendi actum, & propter defectum luminis intellectiui Deum ignorare, an homo sit facturus, vel non facturus actum, puta an sit peccaturus, vel non peccaturus, procul dubio homo liberè se determinabit ad actum; sed pro eo casu homo liberè se determinaret, non quia Deus esset cæcus, & non videret liberam determinationem hominis, sed quia homo haberet potentiam proximam indifferentem ad actum faciendum, vel non faciendum; ergo posito, quod homo ponatur cum eadem prorsus potentia proxima, liberè se determinat ad actum, etiam si Deus non sit cæcus, sed per infinitum lumen intellectiui ab æterno videat, quod homo ita se determinat ad actum, vt habeat potentiam proximam se determinandi ad omissionem actus. Confirmatur: nam est impossibile, vt Deus per hoc, quod videat hominem liberè se determinare ad actum, auferat libertatem actui; sed Deus quia non est cæcus, sed habet infinitum lumen, videt hoc ipsum, quod nimirum homo liberè se determinat ad actum; ergo si Deo non vidente, actus esset liber, etiam Deo hoc vidente, actus remanet liber. Eodem pacto ostenditur scientiam mediam non auferre libertatem actui conditionate præuiso. Nam si Deus ex defectu luminis intellectiui non videret, quid liberum arbitrium esset facturum, si haberet hanc potentiam proximam faciendi, vel omittendi actum, actus procedens ex hac potentia proxima procul dubio esset liber; sed esset liber, non quia Deus esset cæcus, & careret scientia media, sed quia procederet à potentia proxima indifferente; ergo etiam si Deus per scientiam mediam videat, quid liberum arbitrium esset facturum, si haberet hanc potentiam proximam, actus factus ab hac potentia est liber. Confirmatur: nam cum Deus per suum infinitum lumen videat hoc

252 De concordia libertatis cum scientia Dei.

ipsum, quod si homo haberet hanc potentiam proximam indifferentem, liberè faceret actum, repugnat, ut purificata conditione, & posita hac potentia proxima indifferente, actus fiat non liberè propter hoc ipsum, quia Deus videt, quod si poneretur hac potentia proxima, actus fieret liberè.

9. Confirmatur; nam ex dictis quæst. 84. necessitas consequens, & impedibilis à libero arbitrio non aufert libertatem actui; sed scientia visionis; & media de conversione e.g. afferunt conversioni necessitatem consequentem, & impedibilem à libero arbitrio; ergo &c. Probatur minor. Ex dictis enim q. 83. n. 5. ideo Deus per scientiam visionis videt Petrum convertendum e.g. quia Petrus converteretur; ergo scientia visionis de conversione est consequens conversionem, adeoque infert necessitatem consequentem, & indirectè impedibilem à libero arbitrio Petri, qui directè impediens conversionem, potest indirectè impedire scientiam, qua Deus præsciuit Petrum convertendum. Rursus ideo Deus per scientiam mediam videt, quod si dederit Petro hæc auxilia, se converteret, quia, si dederit, liberè se converteret, quamvis proximè possit se non convertere; ergo scientia media conversionis est consequens conversionem liberam Petri ut conditionatè futuram; sed Petrus purificata conditione, & positus cum his auxiliis potest directè impedire conversionem absolutam, impedita verò conversione absoluta, impeditur etiã ut conditionatè futura, & sic impeditur scientia media pendens à conversione ut conditionatè futura; ergo Petrus potest indirectè impedire scientiam mediam de sua conversione conditionatè futura, adeoque necessitas ad conversionem, quam necessitas affert scientia media, est consequens conversionem, & est indirectè impedibilis à libero arbitrio, ac proinde non potest auferre libertatem conversioni.

10. Ad 1. distinguo maiorem: necessitas antecedens negatiuè, ita ut non sit consequens determinatione, aufert libertatem, concedo; necessitas antecedens æternitate, vel tempore, ita ut sit consequens determinatione, aufert libertatem, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Necessitas ita antecedens actum, ut non consequatur, & determinetur ab actu, aufert libertatem actui; at necessitas, quæ consequitur, & determinatur ab actu prout procedente à potentia proxima indifferente, etiam si sit necessitas antecedens æternitate, vel tempore, non potest actui auferre libertatem, ut dictum est qu. 84; sed scientia, qua Deus ab æterno videt Antichristum peccaturum, licet æternitate antecederet peccatum Antichristi, tamen determinatur à peccato Antichristi, quod consequitur; nam ideo Deus ab æterno videt Antichristum peccaturum, quia Antichristus peccabit, non è conuerso, ut dictum est quæst. 83. nu. 5. ergo;

11. Ad 2. distinguo eodem pacto antecedens: scientia media peccati Antichristi ita est prior natura, ut sic posterior determinatione eodem peccato Antichristi ut conditionatè existente, concedo; ut non sit posterior determinatione, nego; & nego consequentiam. Scientia media ita antecedit natura peccatum Antichristi, ut determinatione sit posterior eodem peccato ut conditionatè existente. Nam ideo Deus videt Antichristum, si acceperit hanc potentiam proximam indifferentem, peccaturum, quia Antichristus peccabit, non è conuerso; ergo talis scientia, purificata conditione, & posita hac potentia proxima indifferente, non potest auferre libertatem peccato absolutè existenti; alioquin scientia, qua Deus videt Antichristum, si accipiat hanc potentiam proximam, liberè peccaturum, faceret, ut Antichristus, purificata conditione, & accepta hac potentia proxima, non liberè, sed necessario peccaret, & sic falsificaret ipsam.

12. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Non repugnat mutua prioritas, per quam scientia media ita antecedit peccatum Antichristi e.g. tanquam absolutè ponendum, ut sequatur, & determinetur ab eodem peccato ut conditionatè ponendo. Explicatur exemplo. Nam cum medicus prævidens, quod si dederit agroti tale medicamentum, agrotus sanabitur, & cooperabitur liberè suæ sanationi, dat agroti illud medicamentum, eumque sanat, datio medicamenti est causa sanitatis ut absolutè existentis, & eadem sanitas ut conditionatè existens, & præuisa, determinat medicum ad dandum illud medicamentum, adeoque determinatione est prior datio medicamenti; ergo non est mirum, aliquid simile accidere in casu nostro.

13. Quæres, utrum prioritas, per quam actus liber ut conditionatè futurus determinat scientiam mediam, sit prioritas naturæ, & physica, an sit solum prioritas logica?

14. Respondeo esse prioritatem logicam. Ratio est, quia prioritas physica est, per quam vnum ita determinat aliud, ut prærequiratur ad illud secundum existentiam physicam, quam habeat in rerum natura; sed actus liber conditionatè futurus prærequiritur ad scientiam mediam non secundum existentiam physicam, & absolutam, quam habeat in rerum natura, sed solum secundum existentiam conditionatam, & logicam, quam haberet; ergo &c. Sed quæstio est de modo loquendi.

15. Ad 4. nego minorem. Ad probationem, distinguo minorem: non datur potentia directè impediendi præteritum, concedo; non datur potentia impediendi indirectè præteritum determinatione consequente ex aliquo futuro, nego minorem; & nego consequentiam. Proculdubio non datur potentia directè impediendi præteritum, siquidem causa libera directè, & immediate solum habet potestatem faciendi, vel impediendi, & omittendi

di

di aliquam suam actionem præsentem. Veruntamen cum causa libera potest directe facere, vel impedire aliquam suam actionem præsentem, à qua tanquam à determinatio per modum conditionis essentialiter pendeat aliquod præteritum, vel æternum, potest impediendo directe talem actionem, indirecte impedire illud præteritum, vel æternum; sed scientia æterna, qua Deus videt Antichristum peccatum, & præterita reuelatio, qua reuelauit Antichristum peccatum, essentialiter pendet tanquam à determinatio per modum conditionis, à peccato Antichristi; ideo enim Deus ab æterno vidit Antichristum peccatum, idque in tempore reuelauit, quia Antichristus suo tempore est peccator; ergo Antichristus directe impediendo suum peccatum, poterit indirecte impedire, ne Deus id præsciuerit, & reuelauerit. Hinc patet disparitas, propter quam ego e. g. non possum indirecte impedire, ne Adam peccauerit, possum autem indirecte impedire, ne Deus sciuerit, & reuelauerit meum peccatum. Ideo ego possum indirecte impedire, ne Deus præsciuerit, & reuelauerit meum peccatum, quia possum directe impedire meum peccatum, ex quo essentialiter pendet, & determinatur diuina præscientia, & reuelatio mei peccati; sed non possum impedire directe ullam actionem, à qua essentialiter dependeret, & determinatum fuerit peccatum Adæ; ergo &c.

16. Dices: in quo ergo sensu verificatur axioma Agathonis receptum ab omnibus, quod non datur potentia ne in Deo quidem, faciendi, ut præteritum non sit præteritum?

17. Dicunt aliqui primo sensum esse, quod non datur potentia faciendi, ut præteritum in sensu composito cum hoc, quod sit præteritum, non sit præteritum, sed datur potentia indirecte faciendi, ut non sit præteritum in sensu diuiso.

18. Hæc doctrina est vera, sed non satis explicat sensum axiomatis. In hoc enim sensu eodem pacto datur potentia faciendi, ut præteritum non sit præteritum, quo datur potentia faciendi, ut præsens non sit præsens, futurum non sit futurum. Nam sicut datur potentia faciendi, ut præsens non sit præsens, futurum non sit futurum, solum in sensu diuiso, non in sensu composito, sic datur potentia, ut præteritum non sit præteritum in sensu diuiso, non in sensu composito; sed per illud axioma asseritur, quod non datur potentia, ut præteritum non sit præteritum in aliquo sensu, in quo datur potentia, ut præsens non sit præsens, futurum non sit futurum; ergo &c.

19. Posset secundo dici, sensum axiomatis esse, quod non datur potentia directa faciendi, ut præteritum non sit præteritum, licet detur indirecta.

20. Sed contra, nam per illud axioma negatur vniuersaliter potentia faciendi etiam indirecte, ut præteritum non sit præteritum.

21. Dicendum igitur sensu axiomatis esse, quod in sensu composito cum hoc, quod semel verificetur aliquid esse præteritum, non datur potentia faciendi, ut id non semper verificetur, adeoque ut non semper sit præteritum; ut in sensu composito cum hoc, quod aliquando verificetur aliquid esse præsens, vel futurum, datur potentia faciendi, ut illud non sit amplius præsens, neque futurum. E. g. in sensu composito cum hoc, quod nunc verificetur me peccasse, ne in Deo quidem datur potentia faciendi, ut non semper verificetur me peccasse; ac in sensu composito cum hoc, quod ego nunc pecco, & quod sum peccaturus eras, datur potentia faciendi, ut non amplius verificetur me nunc peccare, & esse peccatum eras. Nam si obtinebo beatitudinem, & cum ea impeccabilitatem, per totam æternitatem verificabitur: *Neque nunc pecco, neque eras, vel vnquam amplius peccabo.*

22. Ad 5. distinguo maiorem: cum antecedens est necessarium simpliciter, vel ex suppositione necessaria, etiam consequens est necessarium, concedo; cum antecedens est necessarium necessitate consequenti ex suppositione non necessaria, etiam consequens est necessarium, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Hoc antecedens: *Deus ab æterno sciuit Antichristum peccatum*, non est necessarium simpliciter. Nam potuit Deus non producere Antichristum, & in eo casu potuit non scire Antichristum peccatum; ergo illud antecedens est necessarium solum necessitate consequenti ex peccato Antichristi non necessario, sed liberè futuro; ergo non est mirum, quod consequens, ex quo inferitur hoc ipsum, quod Antichristus peccabit, non sit necessarium, vel solum sit necessarium necessitate consequenti peccatum Antichristi, quæ necessitas non opponitur libertati talis peccati.

23. Ad 6. distinguo maiorem: nullus effectus potest impedire suam causam per se determinatè requisitam ad effectum, concedo; nullus effectus potest indirecte impedire suam causam non per se determinatè requisitam ad effectum, & essentialiter pendentem ab aliqua operatione talis effectus ut conditionatè futura, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Primo concedo, quod nullus effectus potest directe impedire ullam suam causam. Secundo concedo, quod nullus effectus potest ne indirecte quidem impedire suam causam per se, & essentialiter requisitam ad talem effectum; alioquin posset liberè impedire se ipsum. Tertio dico potentiam proximè liberam directe impediendo aliquam suam operationem liberam, puta actum conuersionis, posse indirecte impedire scientiam mediam, qua Deus videat, quod si poneretur hæc potentia proximè libera, fecisset actum conuersionis, siquidem hæc scientia media essentialiter pendet à tali actu conuersionis ut conditionatè futuro. Addo, quod

254 De concordia libertatis cum scientia Dei.

quod potentia proximè libera se conuertendi, directè impediendo conuersionem, indirectè impediret scientiam mediam de tali conuersione vt conditionatè futura, & indirectè determinaret oppositam scientiam mediam de non conuersione: ex quo sequeretur, quod Deus posuisset hanc potentiam proximam, non dependentem à scientia media de conuersione, sed dependentem à scientia media de non conuersione, non per decretum prædeterminatum conuersionis, sed per decretum permissiuum non conuersionis.

24. Dices primò: quod supponit aliquid vt positum, non potest ne indirectè quidem illud impedire; sed potentia proximè libera supponit vt positas omnes suas causas, à quibus de facto pendet, adeoque etiam scientiam mediam, & diuinam prædeterminationem consensus e. g. ergo.

25. Respondeo, distinguo maiorem: quod supponit aliquid vt positum, prout includit taleam suppositionem, & potentia consequenti non potest illud impedire, concedo: prout abstrahit à tali suppositione, & potentia antecedenti non potest illud impedire, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Potentia proximè libera non constituitur proximè libera formaliter per hoc, quod de facto pendeat à scientia media, & à decreto prædeterminatiu consensu, sed constituitur proximè libera per suam existentiam, & per auxilia præuenientia &c. quæ omnia sunt ex se indifferentia ad hoc, vt pendeant à scientia media consensu, & à prædeterminatione consensu, vel à scientia media dissensu, & à permissione dissensu; ergo potentia proximè libera, vt proximè libera, secundum suam constitutiuam præscindit ab hoc, quod sit posita dependenter ab hac scientia, & decreto, vel ab alia scientia, & ab alio decreto, & prout præscindit, & est indifferens, constituitur tanquàm hypothesi, seu conditio scientiæ mediæ; ergo potentia proximè libera directè se determinando ad consensum, potest indirectè se determinare ad hoc, vt pendeat à scientia media, & decreto prædeterminatiu consensu, & se determinare, vt pendeat à scientia media, & decreto permissiuo dissensu.

26. Hinc patet disparitas, quare potentia proximè libera non possit impedire se ipsam, vel vllum suum constitutiuum, possit autem impedire aliquam suam causam, à qua non essentialiter pendet. Ratio est, quia potentia libera vt existens, non potest impedire vllum eorum, à quorum existentia non potest præscindere; at potest impedire ea, à quorum existentia potest præscindere; sed potentia proximè libera vt existens non potest præscindere ab existentia vllius sui constitutiu, potest præscindere ab hoc, quod existat dependenter ab hac, vel illa causa, puta dependenter à scientia media consensu, vel dissensu; ergo &c.

27. Dices secundò: liberum arbitrium vt absolutè existens, ne indirectè quidem potest

impedire aliquid, quod eodem pacto daretur siue liberum arbitrium existeret, siue non existeret; sed scientia de conuersione conditionatè futura eodem pacto daretur, siue liberum arbitrium existeret, siue non existeret; ergo &c.

28. Respondeo, distinguo maiorem: liberum arbitrium vt absolutè existens non potest indirectè impedire aliquid, quod eodem pacto daretur, siue liberum arbitrium existeret, & quomodocumque absolutè operaretur, siue liberum arbitrium non existeret, & quomodocumque conditionatè esset operaturum, concedo: quod eodem pacto daretur, si liberum arbitrium existeret, & operaretur vno modo, sed non eodem pacto daretur, si liberum arbitrium existeret, & operaretur alio modo, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Liberum arbitrium potest indirectè impedire scientiam mediam conuersionis, quia talis scientia media daretur quidem, si liberum arbitrium existeret, & absolutè conuerteretur, sed non daretur si liberum arbitrium existeret, & absolutè non conuerteretur; ergo liberum arbitrium absolutè existens, impediendo directè suam conuersionem, potest indirectè impedire scientiam mediam de tali conuersione.

29. Ad 7. iam dictum est scientiam visionis, & mediam de conuersione e. g. posse impediri solum indirectè. Hac potentia indirectè impediendi consistit in hoc, quod liberum arbitrium potest directè impedire conuersionem, quam si impediatur, eo ipso sequitur, quod quia Deus ideo absolutè, & conditionatè præsciuit conuersionem, quia liberum arbitrium erat liberè conuersionem non impediturum, Deus neque absolutè, neque conditionatè præsciuit conuersionem.

QVAESTIO LXXXVI.

Virum prædeterminatio, & permissio auferant libertatem actibus à Deo prædeterminatis, & permissis.

1. **V**idetur auferre, primo quia necessitas antecedens non solum tempore, & æternitate, sed etiam causalitate, & natura, & inimpidibilis à libero arbitrio, auferat libertatem actibus, quos necessariò infert; sed prædeterminatio, & permissio sunt huiusmodi, & non possunt impediri à libero arbitrio; alioquin potentia libera posset impedire suam causam, dependentem à qua fuit posita; ergo &c.

2. Secundò ex dictis quæst. 80. num. 27. prædeterminatio, qua Deus prædeterminat actum bonum, puta conuersionem Sancti Petri, est decretum, quo Deus quia per scientiam mediam videt hoc auxilium fore efficax, vult illud dare, & vult, vt Sanctus Petrus conuerteretur, ita vt si videret hoc auxilium fore inefficax, daturus esset aliud, quod videret efficax; sed